

COMMUDIEN

INSTRUCTIONES (630 vers)

N.B. Dans chaque poème, les initiales de vers forment un acrostiche, qui donne le sujet de la pièce, donc son titre.

LIBER PRIMUS.

PRAEFATIO.

1_01 v.1 Praefatio nostra viam erranti demonstrat
 2 respectumque bonum, cum venerit saeculi meta,
 3 aeternum fieri, quod discredunt inscia corda.
 4 Ego similiter erravi tempore multo
 5 fana prosequendo parentibus insciis ipsis ;
 6 abstulit me tandem inde legendo de lege
 7 - testifico Dominum - : "Doleo pro civica turba"
 8 inscia quod pergit periens deos quaerere vanos ;
 9 ob ea perdoctus ignaros instruo verum.

INDIGNATIO DEI.

1_02 v.1 In lege praecepit dominus caeli, terrae marisque
 2 nolite, inquit, adorare deos inanes
 3 de manibus vestris factos ex ligno vel auro,
 4 indignatio mea ne nos disperdat ob ista.
 5 Gens ante Moysen rudis, sine lege morata
 6 nesciensque Deum, defunctos reges orabant,
 7 ad quorum effigies faciebant idola vana.
 8 Translatis Judaeis Dominus de terra Aegypti
 9 imposuit legem postmodum et ista praecepit,
 10 Omnipotenti sibi soli deservire, non illis.
 11 De resurrectione quoquo docetur in ipsa
 12 et spe fortunata rursus in aevo vivendi,
 13 idola si vana relinquantur neque colantur.

CVLTVRA DAEMONVM.

1_03 v.1 Cum Deus omnipotens exornasset mundi naturam,
 2 visitari voluit terram ab angelis istam ;
 3 legitima cujus spreverunt illi dimissi ;

4 tanta fuit forma feminarum, quae flecteret illos.
 5 Ut coinquinati non possunt caelo redire ;
 6 rebelles ex illo contra Deum verba misere.
 7 Altissimus inde sententiam misit in illis.
 8 De semine quorum Gigantes nati feruntur.
 9 Ab ipsis in terra artis prolatae fuere,
 10 et tingere lanas et quaeque geruntur.
 11 Mortales et illi mortuos simulacro ponebant.
 12 Omnipotens autem, quod essent de semine pravo,
 13 non censuit illos recipi defunctos e morte
 14 unde modo vagi subvertunt corpora multa ;
 15 maxime quos hodie colitis et deos oratis.

SATVRNVS.

1_04 v.1 Saturnusque senex si deus, deus quando senescit ?
 2 Aut si deus erat, cur natos ille vorabat ?
 3 Terroribus actus, sed quia deus non erat ille,
 4 viscera natorum rabie monstruosa sumebat.
 5 Rex fuit in terris, in monte natus Olympo,
 6 nec erat divinus ; sic deum esse dicebat.
 7 Venit inops animi, lapidem pro filio sorbsit :
 8 sic deus evasit ; dicitur modo Juppiter ille.

IVPPITER.

1_05 v.1 Juppiter hic natus insula Creta Saturno
 2 ut fuit adultus, patrem de regno privavit ;
 3 proinde nobilium uxores sororesque delusit.
 4 Praeterea sceptrum fecerat faber illi Pyracmon.
 5 Initio caelum, terram Deus et mare fecit ;
 6 terribilis autem iste medio tempore natus
 7 ex antro processit juvenis furtimque nutritus.
 8 Respice querellas ! Alter est Deus non Jovis ille.

DE FVLGINE IPSIVS JOVIS AVDITE.

1_06 v.1 Dicitis o stulti : Jovis tonat, fulminat ipse.
 2 Etsi parvulitas sic sensit, cur annis ducentis
 3 fuistis infantes ? Numquid et semper eritis ?
 4 Versari maturum (in) infantia non capit aevum.
 5 Lusus puerilis cessit : sic et corda recedant ;
 6 moribus virilibus consilia vestra debentur.
 7 Insiptens ergo Jovem tonitruare tu credis
 8 natum hic in terris et lacte caprino nutritum ?
 9 Ergo si illum devorasset (lacune) Saturnus,
 10 in istis temporibus quis pluebat illo defuncto ?
 11 Praesertim mortali patre deus nasci credatur ?

12 Saturnus in terris senuit et defecit in ipsis.
 13 Illum non aliquis prophetavit ante pronasci.
 14 Vel si tonat ipse, lex ab ipso lata fuisse.
 15 Seducunt historiae factus cum fue(rat ipse).
 16 Ille autem Cretae regnavit et ibi defecit ;
 17 omnipotens vobis factus Ganymedis amator.
 18 Viros ipse modo amaret si viveret ille.
 19 Impuros oratis et dicitis esse caelestes
 20 semine mortali natos de Gigantibus illis.
 21 Auditis et legitis natum in terra fuisse :
 22 unde bene meruit corruptor ascendere caelum ?
 23 Dicitur et fulmen Cyclopas illi fecisse,
 24 immortalis enim habuit a mortalibus arma.
 25 Tot reum criminibus, parricidam quoque suorum
 26 ex auctoritate vestra contulistis in altum.

DE SEPTIZONIO ET STELLIS.

1_07 v.1 De circulo zonae fallit nos imperitia vestra,
 2 ex eo quod forte Jovem experitis orandum.
 3 Saturnus fertur ibi, sed stella, non ille ; effugit
 4 expulsus a Jove. Aut Jovis in stella credatur ?
 5 Poli quoque sidera tractavit solusque sator,
 6 Trojanis qui bellum fecit, avem mortalem amavit.
 7 Ipsis sideribus aut Mars qui cum ipsa deprensus
 8 zelo maritali deus nominetur adulescens ?
 9 O nimium stulti, qui putatis moechos ab astris
 10 nascentes regere aut totam mundi naturam !
 11 In vulnera positi et ipsi sub fata viventes,
 12 obscaeni, furiosi, bellatores, impii vitae,
 13 et filios totidem mortales illi fecere :
 14 terribilis omnis, stulti, septizonio fortis !
 15 Si stellas colitis, colite et bis sena sigilla !
 16 Tum arietem taurum, geminos torvumque leonem ;
 17 et denique vadunt in piscis : tu quoque probabis ?
 18 Lex sine lege, fuga vestra, quodvult esse valebit.
 19 Lasciva vult esse sine freno vivere quaerit.
 20 Ipsi quod vultis erit, et deos et deas oratis.
 21 Sic ego colui, dum erravi, quod modo culpo.

DE SOLE ET LVNA.

1_08 v.1 De sole et luna, licet sint praesentanea nobis,
 2 erratis ; quod ego prius, putatis oranda.
 3 Sunt quidem in astris sed non sua sponte (de)currunt :
 4 Omnipotens illos, cum conderet omnia primum,
 5 locavitque ibidem cum stellis quarta dierum.
 6 Errorem antiquus quin cum (lacune)
 7 et quidem in legem jussit, ne quis illos adoret.

8 Tot deos oratis, qui nihil de vita promittunt,
 9 lex quorum in terra non est, nec ipsi praedicti ;
 10 vos autem seducunt sacerdotes pauci
 11 numina qui dicunt aliquid morituro prodesse.
 12 Accedit legis et (modo) dicite verum

MERCVRIVS.

1_09 v.1 Mercurius vester fiat cum sua abolla depictus,
 2 et galea et planta pinnatus et cetera nudus.
 3 Rem video miram, deum saccello volare :
 4 currite paupercli cum gremio quo volat ille,
 5 ut saeculum effundat, vos extunc estote parati.
 6 Respicite pictum, quoniam vobis hic ab alto
 7 lactabit nummos ; nos tunc saltate securi !
 8 Vane, non insanis, colere deos pictos in axe ?
 9 Si vivere nescis, cum bestiis perge morari.

NEPTVNVS.

1_10 v.1 Neptunus facitis deum ex Saturno pronatum,
 2 et tridentem regit, ut pisces suffigere possit.
 3 Patet esse deum : humeralem illi parate !
 4 Trojanis non ipse cum Apolline muros eduxit ?
 5 Unde deus factus inops caementarius ille ?
 6 Non Cyclopem genuit monstrum ? Non moechus et ipse ?
 7 Vivere non poterat de suo, quod structuram gerebat ?
 8 Sic genuit generatus, qui fuit jam mortuus olim.

APOLLO SORTILEGVS FALSVS.

1_11 v.1 Apollinem facilis citharoedum atque divinum.
 2 Primum de moechia natus in insula Delo ;
 3 oblata mercede postmodum structuram secutus
 4 Laomedonti regi Trojanorum muros eduxit ;
 5 locavitque sese, quem deum seducti putatis ;
 6 ossibus cuius amor Cassandrae flagravit,
 7 subdole quem lusit virgo, falliturque divinus ;
 8 officio verbenis potuit scire bicordem ;
 9 repudiatus enim discessit inde divinus.
 10 Torruit hunc virgo specie, quam ille deberet ;
 11 illa prior tuque debuerat deum amasse.
 12 Lascivientemque Delinem sic coepit amare.
 13 Et tamen insequitur, dum vult violare puellam :
 14 gratis amat stultus, nec potuit consequi cursum.
 15 Vel, si deus erat, occurreret illi per auras :
 16 sub tectis illa prior venit, remansitque divinus.
 17 Fallit vos gens hominum, nam viri stulti fuerunt.

18 A primitia quoque pecora pavisse refertur.
 19 Jussibus inpositis dum mitteret discum in altum,
 20 sublapsus non potuit retinere, prostravit amicum :
 21 ultimus ille dies fuit Hyacinthi sodalis.
 22 Si divinus erat, mortem praecessisset amici.

LIBER PATER BACCHVS.

1_12 v.1 Liberum patrem certe bis genitum dicitis ipsi.
 2 In India natus ex Jove (et) Proserpina primum
 3 belligerans contra Titanas profuso cruore
 4 exspiravit enim sicut ex mortalibus unus.
 5 Rursus flato suo redditus in altero ventre.
 6 Percepit hoc Semele iterum Jovis altera moechia,
 7 absciso cujus utero prope partu defunctae
 8 tollitur et datur Niso nutriendus alumnus.
 9 Ex eo bis natus Dionysus ille vocatur,
 10 Religio cujus in vacuo falsa curatur.
 11 Bacchantur et illi qualis nunc ipsi videntur,
 12 aut pediculones Minervae omnisque scitoris.
 13 Conspirant in malo, profudunt ficto furore,
 14 ceteros ut fallant dicturos numen adesse.
 15 Huic manifeste rudes homines simile viventes
 16 vino permutati, primo quod expresserat ille,
 17 sub ludicro (lacune) honorem illi dedere.

INVICTVS.

1_13 v.1 Invictus de petra natus si deus habetur,
 2 nunc ergo reticeo : vos de istis date priorem !
 3 Vicit petra deum, quaerendus est petrae creator.
 4 Insuper et furem adhuc depingitis esse,
 5 cum, si deus esset, utique non furto vivebat.
 6 Terrenus utique fuit et monstruosa natura,
 7 vertebatque boves alienos semper in antris,
 8 sicut et Cacus Vulcani filius ille.

SILVANVS.

1_14 v.1 Silvanus unde deus iterum apparuit esse ?
 2 Inde forte placet eo quod bene fistula cantat ?
 3 Lar igitur quando ? Lignum nam forte non esset.
 4 Venalem emisti dominum, cum tu ipse sis illi.
 5 Aspice, deficit lignum ! Quid illi debetur ?
 6 Non te pudet, stulte, tales adorare tabellas ?
 7 Unum quaere Deum, qui post mortem vivere dicit !
 8 Secede ab istis qui sunt biothanati facti.

HERCVLES.

1_15 v.1 Hercules quod monstrum Aventini montis elisit,
 2 Evandri qui solitus erat armenta furare,
 3 rustica mens hominum, indocilis quoque, pro laude
 4 cum gratias agere vellent, absentis Tonantis
 5 voverunt hostias inepto ut deo orando ;
 6 lactandas aras in memoriam sibi fecerunt.
 7 Ex eo perrexit, de vetusto more colatur.
 8 Sed deus hic non est licet fuit fortis in armis.

DE DIIS DEABVSQVE.

1_16 v.1 Dicitis esse deos, qui sunt manifeste cruenti,
 2 et dicitis fata genesis adscribere nobis.
 3 Dicitis nunc ergo quibus primum sacra ferantur :
 4 inter utrumque vias mors inmatura vagatur.
 5 Si tribuunt fata genesis, cur deum oratis ?
 6 Deciperis, vane, qui Manes quaeris orare,
 7 et qui fabricantur dominos tibi nuncupas esse.
 8 Aut feminas quoque nescio quas deas oratis,
 9 Bellonam et Nemesin, deas Furinam, Caelestem,
 10 Virgines et Venerem cui conjuges vestrae delumbant.
 11 Sunt alia praeterea daemona (procul a) fanis,
 12 quae nec numerantur adhuc et in collo feruntur,
 13 ut ipsi sibi rationem reddere possint (pestes).
 14 Exportari magis in ultima terra deberent.

DE SIMVLACRIS EORVM.

1_17 v.1 Deludunt nos pauci scelerati vates inanes,
 2 explicare suam dum quaerunt vitam.
 3 Subornant aliis ex se sub mysteria falsum.
 4 Inde simulantes concussi numine quodam
 5 majestatemque canunt et se sub figura fatigant.
 6 Vidistis saepe Duellonarios, quali fragore
 7 luxurias ineunt, dum furias tingere quaerunt,
 8 aut cum dorsa sua allidunt parca bipenne,
 9 cum doctrina sua cernant quod corpora sanent.
 10 Respicite quoniam non illos numina cogunt,
 11 ipsi qui se primum componunt integra mente ;
 12 sed stipem ut tollant ingenia talia quaerunt.
 13 Ex eo videte quoniam sunt omnia ficta.
 14 Obumbrant populum supplicem, perituri ne credant.
 15 Res semel in vano de vetustate processit,
 16 ut vaticinanti credantur prodita falsa ;
 17 majestas autem illorum nulla locuta est.

DE AMMVDATE ET DEO MAGNO.

1_18 v.1 Diximus jam multa de superstitione nefanda,
 2 et tamen exsequimur ne quid praeterisse dicamur.
 3 Ammudatemque suum cultores more colebant ;
 4 magnus erat illis quando fuit aurum in aede ;
 5 mittebant capita sub numine quasi praesenti.
 6 Ventum est ad summum ut Caesar tolleret aurum ;
 7 defecit numen aut fugit, aut transit in ignem.
 8 Auctor hujus sceleris constat, qui formabat eundem.
 9 Tot viros et magnos seduxit false prophetans,
 10 et modo reticuit qui solebat esse divinus.
 11 Erumpebat enim vocis quasi mente mutata,
 12 tamquam illi deus loqueretur in aurem.
 13 Dicite nunc ipsi, si non sunt numina falsa,
 14 ex eo prodigio quot perdidit ille propheta !
 15 Oblitus est iste prophetare, qui ante solebat.
 16 Monstra deo ista fincta sunt per vinivoraces,
 17 audacia quorum damnabilis numina fingit.
 18 Gestabatur enim et aluit tale sigillum :
 19 nunc et ipse silet, nec ullus de illo prophetat.
 20 Nimium seductos vos ipsos perdere vultis.

NEMESIACIS VANIS.

1_19 v.1 Ni mi ignominium est virum seduci prudentem
 2 et colere talem aut Dianam dicere lignum ?
 3 Mane ebrio, crudo, perituro creditis uno,
 4 ex arte qui ficta loquitur quod illi videtur ;
 5 se vere deum agit, sibi viscera poscit.
 6 Incopriat cives unus detestabilis omnes,
 7 applicuitque sibi, simili collegio facto,
 8 cum quibus historiam fingit, ut deum adornet.
 9 Ipse sibi nescit divinare, ceteris audet.
 10 Succollat, quando libet, cum et quando deponit ;
 11 vertitur a sese rotans cum ligno bifurci,
 12 ac si putes illum adflatum numine ligni.
 13 Non deos nos colitis, quos isti false prophetant :
 14 ipsos sacerdotes colitis in vano timentes.
 15 Sed si corde viges, fuge jam sacraria mortis.

TITANES.

1_20 v.1 Titanes vobis Tutanos dicitis esse ;
 2 ita Mutas, Tacitas sub culmine vestro rogatis.
 3 Tot Lares aediculis, simulacra facta Titano !
 4 Adoratis enim stulti malo leto defunctos,
 5 non legem ipsorum legentes ; non ipsi loquuntur,

6 et deos audetis aeramine dicere fusos ?
7 Solveritis eos magis in vascula vobis.

MONTESIANIS.

1_21 v.1 Montenses deos dicetis, dominantur in auro,
2 obscurati malo aliena mente jurantes.
3 Nam si purus animus et mens serena maneret,
4 tu tibi de illis ipsi disputare deberes.
5 Excordaris homo, si putas ut isti te salvent
6 seu regant, seu minuant, nisi quid tu fani decurris.
7 Justitiam legis quaere magis quam illa ; salutis
8 auxilium portat et fieri dicit aeternum.
9 Nam quicquid in vano sequeris, per tempora gaudes,
10 in brevi laetaris et postmodum plangis in imis :
11 subtrahe te illis, si vis resurgere Christo.

HEBETYDO SAECVLI.

1_22 v.1 Heu doleo, cives, sic vos hebetari de mundo !
2 Excurrit alius ad sortes, aves aspicit alter,
3 Balantum cruore fuso malus inspicit alter
4 et cupit audire responsa bona crudelis.
5 Tot duces et reges ubi sunt consulti de vita,
6 vel portenta sua scisse quo profuit illis ?
7 Discite, quaeso, bonum, cives, simulacra cavete
8 Omnipotentis enim in legem quaerite cuncti.
9 Sic ipsi conplacuit domino dominorum in altis,
10 ad probationem nostram daemones in mundo vagari.
11 Et tamen ex alia parte mandata praemisit,
12 caelestis fieri qui relinquunt aras eorum.
13 Unde non hoc curo disputare parvo libello ;
14 lex docet in medio ; nos consulite pro vobis !
15 In duas intrastis vias : condiscite rectam.

DE VBIQVE PARATIS.

1_23 v.1 Dura ventri servis, innocentem esse te dicis.
2 Et quasi communis facis te ubique paratum.
3 Vae tibi, stulte homo, mortem circumspicis ipse,
4 barbaro de more sine lege vivere quaeris :
5 ipse tibi figis asciam in crure de verbo.
6 Qui simplicem fingis, simpliciter vino cum isto
7 vivere te credis, dum ventrem cupis implere ?
8 Exiguus tyranni in domo resides, prave,
9 paratus ad epulas et refugis Dei praecepta.
10 Aut quia discredis Deum judicare defunctos,
11 rectorem caeli facis te tu forte pro illo ?

12 Aspicias ad ventrem, quasi tu sis providus illi.
 13 Tu modo profanus, modo sanctus esse videris.
 14 In supplicem prodixisti Dei sub aspectu, tyranne.
 15 Senties in fatiis, cujus modo legem inanem.

INTER UTRUMQUE VIVENTIBVS.

1_24 v.1 - Inter utrumque putavi dubie vivendo cavere. -
 2 Nudatus a lege, decrepitu luxu praesepis,
 3 tot vana vane prospicis - Quid ? - Quaeris iniqua !
 4 Et quidquid egisti, istinc remanere defunctum
 5 respice te. Stulte, non eras, et ecce videris !
 6 Unde processisti nescis nec unde nutriris.
 7 Tu Deum excelsum fugis tuae vitae benignum
 8 rectoremque tuum, qui te magis vivere velit ;
 9 vertis te in faciem et dorsum Deo remittis,
 10 mergis te in tenebris, dum putas te in luce morari.
 11 Quid in synagoga decurris saepe bifarius ?
 12 Ut tibi misericors fiat quem denegas ultro ?
 13 Exis inde foras, iterum tu fana requiris ;
 14 Vis inter utrumque vivere, sed inde peribis.
 15 Insuper et dicis : "Quis est qui a morte redemit ?
 16 Ut credamus ei quoniam ibi poenae aguntur."
 17 Ea non sicut tu putas esse, maligne !
 18 - Nam illi qui prodest post funera, recte qui vixit ? -
 19 Tu tamen mox moreris, duceris in loco maligno ;
 20 in Christo credentes autem in loco benigno,
 21 blanditurque quibus haeret amoenitas illa.
 22 Vos autem dubii in vos sine corpore poena !
 23 Suscitatur in faciem tortoris ardor clamare.

QVI TIMENT ET NON CREDENT.

1_25 v.1 Quamdiu, stulte homo, Christum cognoscere non vis ?
 2 Vitas agrum pinguem et sterili semina ictas.
 3 In silva manere quaeris, ubi latro moratur.
 4 Tu dicis : "Et ego Dei sum, et foras oberras.
 5 Ingredere jam nunc toties invitatus in aula :
 6 matura jam messis, tempus totidemque paratum,
 7 ecce modo mete ; quodsi non, te paenitet inde.
 8 Nunc, si non habes, collige ; vindemia venit
 9 tempus adest vitae credendi tempore mortis.
 10 Est Dei lex prima fundamentum posterarum legis,
 11 teque designabat. Crederis in lege secunda ;
 12 nec minus ex ipso sed ex ipsas tibi prudenter
 13 obstupe jam factus ora tu credere Christo,
 14 nam testamentum vetus de illo proclamat.
 15 Credere nunc opus est, tantum in isto defuncto
 16 resurgere posse et vivere tempore toto.

17 Ergo si quis ea discredit esse futura,
 18 dummodo vincetur reus in morte secunda,
 19 eventura canam paucis in isto libello ;
 20 nam cognosci potest, ubi sit spes vitae ponenda.
 21 Tamen vos adhortor quantocius credere Christo.

REPVGNANTIBVS ADVERSVS LEGEM CHRISTI DEI VIVI.

1_26 v.1 Respice, infelix, bonum disciplinae caelestis
 2 et ruis in mortem, dum vis sine freno vagari.
 3 Perdunt te luxuriae et brevia gaudia mundi,
 4 unde sub inferno cruciaberis tempore toto.
 5 Gaudia sunt vana, quibus oblectaris, inepte.
 6 Non illa te reddunt hominem fuisse defunctum.
 7 Anni te non possunt jam triginta reddere doctum ?
 8 Nescius si primum errasti, respice canum.
 9 Tu putas nunc vitam isti te perfrui laetum ?
 10 Injuriae, lites ibi sunt et damna diurnum,
 11 Bella vel infanda, fraudes, cum sanguine furta,
 12 ulceribus corpus vexatur gemiturque ploratur,
 13 seu luis invadit, aut longo morbo teneris,
 14 aut natis orbaris, aut perdita conjuge defles ;
 15 desaevitur totum ruunt dignitates ab alto ;
 16 ureris pauperie dupliciter certe si langues ;
 17 et dicis vitam, ubi vitrea vita moraris ?
 18 Respice jam tandem hoc tempus irruitum esse :
 19 sed in futuro tibi spes est sine dolo vivendi.
 20 Vivere volebant utique parvoli rapti
 21 sed vita privati ; juvenis et senescere forte
 22 lautitias dives perfrui quae ipse parabat ;
 23 et tamen inviti relinquimus omnia mundo.
 24 Gens et ego fui perversa mente moratus
 25 et vitam istius saeculi veram esse putabam
 26 mortemque similiter sicut vos judicabam adesse,
 27 cum semel exisset, animum periisse defunctum.
 28 Haec autem sic non sunt ; sed conditor orbis et auctor
 29 requisivit enim fratrem a fratre peremptum :
 30 "Impie, dico, inquit, ubinam frater ? " - Ille negavit. -
 31 Sanguis enim fratris ad me proclamavit in altum.
 32 Torqueris, tu ideo, ubi nil sentire putabas,
 33 ille autem vivet et loca dextera tenet,
 34 delicias fruitur, quas tu perdidisti, nefande !
 35 Fit cum renovasti saeculum, et ille praegressus,
 36 immortalis erit ; nam tu sub tartara planges.
 37 Vivit certe Deus, qui defunctos vivere fecit,
 38 innocuisque bonis ut reddat praemia digna,
 39 Vesanis autem et impiis tartara saeva.
 40 Incipe sentire judicia Dei, seducte !

STVLTE NON PERMORERIS DEO.

1_27 v.1 Stulte non permoreris nec mortuus effugis actus,
 2 tu licet disponas nihil te sentire defuncto.
 3 Vinceris, insipiens : vivit Deus conditor orbis,
 4 legitima cujus clamatur valere defuncto.
 5 Tu autem dum praeceps sine Deo vivere quaeris.
 6 Exstinctum in fatis iudicas ; ut futile credis.
 7 Non ita disposuit, ut tu putas, Deus hactenus,
 8 oblivitos esse mortuus de gesto priore.
 9 Nunc nobis in peritia fecit receptacula mortis,
 10 per cineres autem nostros videbimus illa,
 11 erue te, stulte, qui putas per funera non sis.
 12 Rectorem dominumque tuum nihil posse fecisti.
 13 Mors autem in vacuum non est, si corde retractes.
 14 Optandum noscas, nam sero senties illum.
 15 Rector cras carnis, non te certe caro regebat ;
 16 exemptus ab illa, reconditur illa tuorum.
 17 Recte mortalis homo separatur a carne.
 18 Idcirco nec poterint oculi mortales aequari -
 19 sic habet abyssus noster - de Dei secreta.
 20 Da nunc ergo Deo, fragilis dum morieris, honorem,
 21 et crede quod Christus vivum te de mortuo reddit.
 22 Omnipotenti laudes in ecclesia reddere debes.

IVSTI RESVRGVNT.

1_28 v.1 Justitia et bonitas, pax et patientia vera A
 2 vivere per facta faciunt nec queri de actu : V
 3 subdola gens autem, noxia, perfida, prava A
 4 tollit se in parte et fera mente moratur. R
 5 Impie, nunc audi, qui vis malefacta lucrari(s). I
 6 Respice terrenos Iudices in corpore qui nunc C
 7 excruciant poenis diros : aut ferro parantur R
 8 supplicia meritis aut longo carcere flere. E
 9 Ultime tu speras Deum inridere caelestem M
 10 rectoremque poli, per quem sunt omnia facta ? A
 11 Grassaris, insanis, detractas nunc et Dei nomen ? N
 12 Unde non effugies poenam per facta qui ponet. T
 13 Nunc volo sis cautus, ne venias ignis in aestu. U
 14 Trade te jam Christo, ut te benefacta sequantur. R

DIVITI INCREDVLO MALO.

1_29 v.1 Differis, dives, nimium tua cuncta videndo,
 2 insatiabiliter quibus adhaerere quaeris.
 3 Vivere post ista, dicis, non spero defunctus.
 4 Ingrate summo Deo, qui sic Deum iudicas esse,
 5 te qui nescientem protulit deinde nutrit ;

6 ipse parat tua ; gubernat vineas ipse,
 7 ipse greges pecorum et quicquid possides ipse,
 8 nec istis adtendisti. Aut tu regis omnia forte ?
 9 Caelum hoc et terram et maria salsa qui fecit
 10 reddere decrevit non ipsos in aureo saeclo ?
 11 Et modo si credis, vivitur in Dei secreta.
 12 Disce Deum, stulte, qui vult te inmortalem adesse,
 13 ut gratius illi referas in agone perennes.
 14 Lex docet ipsius sed quia vagari tu quaeris,
 15 omnia discredis et inde in tartaros ibis :
 16 mox animam reddis, duceres quo te paenitet esse,
 17 abluitur ibi poena spiritalis aeterna ;
 18 lugia sunt semper, nec permoreris in illa,
 19 omnipotentem Deum jam tunc ibi sero proclamans.

DIVITES HUMILES ESTOTE.

1_30 v.1 Disce, moriture, bonum ostendere cunctis.
 2 In medio populi quid te facis alterum esse ?
 3 Vadis ubi nescis et inscius inde recedis ;
 4 impie tractas cum ipso corpore, sitis
 5 tu super divitias, nimium te tollis in altum
 6 et festiva ducis, nec respicis pauperes ultro
 7 subditos nunc vobis, nec parentes pascitis ipsos.
 8 Heu miseri ! Fugiant longius mediocres a vobis.
 9 Vixit et exstinxit pauper, ebriaca clamas.
 10 Mox furiis ageris, cum pereas ipse ? Charybdis.
 11 Indisciplinati sicut divites estis :
 12 legem datis istis nam vobis parcitis ipsis.
 13 Exue te, dives, tantis malis, Deo reversus,
 14 subveniat utique tibi, quod nunc operasti si forte.
 15 Estote communes minimis dum tempus habetis ;
 16 sicut ulmus amat vitem, sic ipsi pusillos.
 17 Terribilem legem malis bonis atque benignam
 18 observa, nunc sterilis ! Subditus in prosperis esto.
 19 Tollite corda fraudis, divites, et sumite pacis.
 20 Expiate malum vestrum : benefactis a summo.

IVDICIBVS.

1_31 v.1 Intuite dicta Salomonis, iudices omnes,
 2 uno verbo suo qualiter nos ille detractat :
 3 dona quam et xenia corrumpunt iudices omnes !
 4 Idem : munus sequitur, datorem semper amatis ;
 5 cum quaerit, causa victoriam tollit iniqua.
 6 Innocens hic ego sum, nec vos incuso pusillus,
 7 blasphemium tollat Salomon qui clamat aperte.
 8 Vobis autem Deus est venter et praemia jura.
 9 Suggestit hoc Paulus apostolus, non ego pulex.

SIBI PLACENTIBVS.

1_32 v.1 Si locus aut tempus favet aut persona provenit,
 2 index esto novus. Quid nunc extolleris inde ?
 3 Blasphemias, indocilis ; de cujus praestantia vivis,
 4 in fragilitate tanta non respicis umquam.
 5 Per gradum et lucra avidus fortunae praesumis,
 6 lex tibi non ulla est nec te in prosperitate dignoscis ;
 7 auro licet cenes cum turba choraulica semper,
 8 cruciarium Dominum si non adorasti, peristi.
 9 Et locus et tempus et persona tibi donatur,
 10 nunc si tamen credis ; sin autem, pro eo timebis.
 11 Tempera te Christo et cervicem illi depone :
 12 istic honor remanet et tota fiducia rerum.
 13 Blanditur quando tibi tempus nunc, cautior esto.
 14 Ultima fatorum non providens, quae te oportet,
 15 sine Christo nequis esse vitae compotis umquam.

GENTILIBVS.

1_33 v.1 Gens sine pastore ferox jam noli vagare.
 2 Et ego, qui moneo idem fui nescius errans.
 3 Nunc ideo Domini figuram sumite vestri,
 4 tollite corda fera et exasperata seorsum :
 5 intrate stabulis silvestris ad praesepia tauri,
 6 latronibus tuti sub regia tecta manentes.
 7 In silva lupi sunt, ideo refugite sub antro.
 8 Bellaris, insanis nec respicis, ubi moraris.
 9 Uno crede Deo, ubi mortuus vivere possis
 10 surgas et in regno, cum sit et resurrectio justis.

ITEM GENTILIBVS IGNARIS.

1_34 v.1 Indomita cervix respuit jugum ferre labori,
 2 tunc juvat in campis crassis satiari coliclis.
 3 Et tamen invita domatur utilis equa
 4 minuiturque ferox esse proinde domata ;
 5 gens, homo, tu frater, noli pecus esse ferinum,
 6 erue te tandem et tecum ipse retracta :
 7 non utique pecus nec bestius, sed homo natus,
 8 tu te ipse doma sapiens et intra sub antra.
 9 Idola, quae sequeris, nihil nisi vanitas aevi.
 10 Levia nos corda perducunt poenali barathro.
 11 Ibi aurum, vestes, argentum ulnis refertis,
 12 bellatur ibi, dein cantantur pro psalmis amores.
 13 Vitam esse putas ubi ludis aut prospicis ista :
 14 sortiris, ignare, exstincta, aurea quaeris.

15 Inde non effugies pestem, licet ipse divines.
 16 Gratiam, quam misit Dominus in terra legendam,
 17 non requiris eam sed sic quasi bestius errans.
 18 Aurea post fata veniet tibi saecula, si credis,
 19 reversus ut incipias inmortale vivere semper.
 20 Illud quoque datur scire, quod ante fuisti :
 21 subjectum te praebe Deo, qui cuncta gubernat.

DE LIGNO VITAE ET MORTIS.

1_35 v.1 Adam protoplastus ut Dei praecepta vitaret,
 2 Belias servator fuit de invidia plasmae.
 3 Contulit et nobis seu boni seu mali quod egit
 4 dux nativitatis ; morimur itemque per illum.
 5 Ex divino ipse recedens exsul factus a verbo.
 6 Finitis sex milibus annis inmortales erimus.
 7 Gustato pomi ligno mors intravit in orbem :
 8 hoc ligno mollis quaeramus vitae futurae.
 9 In ligno pendit vita ferens poma, praecepta :
 10 10 capite nunc ligno vitali poma credentes.
 11 11 Lex a ligno data est homini primitivo timenda,
 12 12 mors unde provenit neglecta lege primordi :
 13 13 nunc extende manum et sume de ligno vitali.
 14 14 Optima lex Domini sequens de ligno processit ;
 15 15 perdita lex prima ; gustat unde licet illi,
 16 16 qui deos adorat vetitos, mala gaudia vitae.
 17 17 Respuite gustum ; sufficiet scire quod esset.
 18 18 Si vivere vultis, reddite nos legi secundae,
 19 19 templorum culturam, daemonum fana vitate.
 20 20 Vertite vos Christo, et eritis Deo sodales.
 21 21 Sancta Dei lex est, quae mortuos vivere dicit.
 22 22 Hymnum sibi soli Dominus proferre praecepit,
 23 23 zabolicam legem omnes omnino vitate.

DE CRVCI STVLTITIA.

1_36 v.1 De duplici ligno dixi, mors unde processit,
 2 et iterum inde procedere vitam frequenter.
 3 Crux autem stultitiam facit adulteri genti.
 4 Rex aeternitatis per crucem diros adumbrat,
 5 ut sibi non credant, stulti morte viventes !
 6 Caïn juniorem occisit nequam repertus :
 7 indet Enoch subolis Chananaei nati feruntur.
 8 Sic genus iniquum increvit mundo, qui numquam
 9 transmutat animos in Domini credere crucem.
 10 10 Vivunt in errorem et dicunt se vivere recte.
 11 11 Lex in ligno fuit prima, et inde secunda
 12 12 terribilem legem primam cum pace praevenit.
 13 13 In perversitate saeva scelerati ruerunt :

14 trajectum clavis Dominum cognoscere nolunt,
 15 in cuius indicium cum venerint, ibi dignoscunt.
 16 Abel genus autem credit modo Christo benigno.

QVI IVDACIDIANT FANATICI.

1_37 v.1 Quid ? Medius Judaeus, medius vis esse profanus ?
 2 Unde non effugies indicium Christi defunctus.
 3 Ipse caecus erras et ad caecos intras inepte ;
 4 idcirco caecus caecum in fossa reducit.
 5 Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis.
 6 Discentes ad doctos eunt, ut docti recedant,
 7 At tu aliis vadis, unde nihil discere possis :
 8 exis pro foribus, inde et ad idola vadis.
 9 Interroga primum quid sit in lege praeceptum,
 10 dicant illi tibi si iussum est deos adorare.
 11 Ignorantur enim : propter quod maxime possunt.
 12 At illi quoniam rei sunt ex ipso delicto,
 13 nil de praeceptis Dei nisi mirabilia narrant.
 14 Tunc tamen in fossam secum vos caeci deducunt.
 15 Funera sunt : nimium de illis tota deferre,
 16 aut quia concludor aggere congestus aratri.
 17 Noluit Omnipotens illos intellegere Regem ;
 18 a scelere tanto refugit ipse cruentis.
 19 Tradidit se nobis superaddita lege,
 20 inde modo latrant nobiscum rege deserti.
 21 Ceterum in illis si spem esse putatis,
 22 in totum erratis, si Deum et fana colatis.

IVDAEIS.

1_38 v.1 Improbi semper et dura cervice recalces,
 2 vinci vos non vultis : sic exheredes eritis.
 3 Dixit Esaias incrassato corde vos esse.
 4 Aspicias legem, quam Moyses allisit iratus ;
 5 et idem Dominus dedit illi legem secundam.
 6 In illa spem posuit, quam vos subsannatis erecti
 7 sic ideo digni non eritis regno caelesti.

ITEM IVDAEIS.

1_39 v.1 Inspice Leam typum Synagogae fuisse,
 2 tam infirmis oculis, quam Jacob in signo recepit ;
 3 et tamen servivit rursus pro minore dilecta,
 4 mysterium verum et typum ecclesiae nostrae.
 5 Intuite plene dictum Rebeckae de caelo,
 6 unde simul mentes alienae Christo credatis.
 7 Deinde Thamar partum geminorum adite ;

8 ad Cain intendite, primum terraeque cultorem,
 9 et Abel pastorem, priscus immaculatus offertor
 10 in sacrificio qui fuit mactatus a fratre.
 11 Sic ergo percipite juniores Christo probatos.

ITERVM IPSIS.

1_40 v.1 Incredulus populus non est nisi vester, iniqui,
 2 tot locis et totiens reprobatus lege clamantum,
 3 et sabbata vestra spernit et tricenas Altus
 4 rescidit omnino universas vestras de lege,
 5 ut nec sacrificia faceretis illi praecepta,
 6 mittere qui dixit lapidem in scandalo vestro.
 7 Iniqua si quis vestrum non crediderit morte perisse,
 8 pars alia legis clamat : "Videbitis inde
 9 suspensam in ligno vitam ; nec illi credetis."
 10 Ipse Deus vita est, pependit ipse pro nobis,
 11 sed vos indurato corde subsannatis eundem.

DE ANTECHRISTI TEMPORE.

1_41 v.1 Dixit Esaias : "Hic homo, qui commovet orbem
 2 et reges totidem, sub quo fiet terra deserta."
 3 Audite, quoniam propheta de illo praedixit ;
 4 nil ego compositae dixi sed legem legendo.
 5 Tum scilicet mundus finitur cum ille parebit
 6 et tres imperantes ipse devicerit orbe.
 7 Cum fuerit autem Nero de inferno levatus,
 8 Helias veniet prius signare dilectos
 9 res quas ad finem regit et artatio tota.
 10 In septem annis tremabit undique terra :
 11 sed medium tempus Helias, médium Nero tenebit.
 12 Tunc Babylon meretrix incinefacta favilla ;
 13 inde ad Hierusalem perget, victorque Latinus
 14 tunc dicet : "Et ego sum Christus, quem semper oratis."
 15 Et quidem conlaudant illum primitivi decepti ;
 16 multa signa facit quoniam cujus pseudopropheta.
 17 Praesertim, ut credant illi, loquetur imago ;
 18 Omnipotens tribuit ut spiritalis eradat.
 19 Recapitulantes scripturas ex eo Judaei
 20 exclamant pariter ad Excelsum sese deceptos.